

II. Gratiarum Actio. — Audiam quid loquaris in me, Domine Deus; quoniam loqueris pacem in plebem tuam et inter sanctos tuos, et in eos qui convertuntur ad cor. Omnis qui bibit ex aqua quam tu das non sitiet in æternum; sed fit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Et me, servum tuum apprehendisti ab extremis terræ, et a longinquis ejus vocasti me et dixisti mihi: Servus meus es tu, elegi te et non abjeci te; ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atris tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Qui etiam proprio filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donasti? Aspicio ergo quæ fecisti nobiscum et cum timore et tremore confitebor tibi: teque regem sæculorum exaltabo in operibus meis.

III. Propitiatio. — Ponam te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quid petis a me, nisi ut ambulem in viis tuis, et diligam te, ac serviam tibi, Domine, in toto corde meo et in tota anima mea? In omnibus meipsum præbeam exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Glorificabo et portabo te, Deus, in corpore meo.

IV. Petitio. — Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi; velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me; quia in te speravi. Notam fac mihi viam in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam.

Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Tecum paratus sim et in carcere et in mortem ire. Scimus autem quoniam diligentibus te omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nunc autem in manu tua sumus; quod bonum et rectum videtur, fac nobis.

Sicut accepi te, Jesu Christe, in teipso ambulem. Tu eris custos meus, quocumque perrexero et reduces me in terram tuam.